

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

Verum quidem est, multa etiam hoc nostro tempore de novo quasi dicta vel scripta videri, quod eatenus concedendum est, si methodum modumque tractandi respectemus, interim tamen eadem materia reperitur nihilque novum aut dissonans a doctrina et instituto veterum iure culpatur. Sed longius atque volebam progressus sum.

Dubium autem alicui videri possit, num simili ratione vel modo argumentari liceat. Nihil est factum, quod non factum sit prius. Etenim si vel historias vel scripta et gesta antiquissimorum non solum prophanorum, sed etiam sacrorum historicorum revolvamus, multa quasi mira, magna, memorabilia et inaudita relegemus et inveniemus. Ut enim ex plurimis paucissima eaque solum generalia attingam, quantas mutationes regnorum, provinciarum et dominiorum ubique legimus! Quot bella tam intestina, quam etiam externa meminimus! Quot fraudes, dolos, proditones, rapinas, caedes, insidias, simultates, rebelliones civium et subditorum in omnibus pene regnis subnotamus! Quot inundationes aquarum, eruptiones marium, conflagrationes urbium, oppidorum arciumque munitissimarum excidia, deletiones, fames, pestilitates! Breviter, nonne infinita quasi mala et noxia damna cum admiratione apud priscos eosque antiquissimos ruminamus? Unde etiam sane his temporibus non leviora nec minora aut mitiora in nostris hisce regionibus contigisse videntur. Immo si haec nostra tempora cum aliquot elapsis saeculis conferre voluerimus, apprime animadvertemus, haec nostra saecula prioribus illis saeculis in iam enumeratis malis vel nihil omnino vel certe parum cessura. Ausim sane affirmare, paucis ab hinc annis multa plura memorabilia evenisse, quorum vix similia apud praedecessores nostros legimus. Nostra haec aetas tres potentissimos Romanos Imperatores de inclytissima nobilissimaque Domo Austriaca vidit, in quibus singulis aliquid peculiare et quasi novum animadvertere licuit. Caesar *Rudolphus* usque ad finem vitae sexagesimum annum celebs vixit, imperium Romanum per 36 annos cum duobus amplissimis regnis Hungariae et Boemiae pacifice, prudentissime optimeque rexit. Turcicae maximae potentiae furorique inveterato per continuos 14 annos viriliter feliciterque restitit, licet ipse interim *Pragae* quietus consederit. Quot motus, seditiones intestinaeque gliscentia bella in Germania tam in imperio quam extra imperium sola sua caesarea autoritate compescuit composuitque pacemque toto sui regiminis tempore conservavit! Quoties tamen in periculo vitae inter medios suos proditores fuit! Multa imo pene infinita sunt, quae de hoc laudatissimo Caesare dicenda forent, quae de nullo alio Imperatore vel legimus vel audivimus.